

1. Memniti; s. Martij
Repetitio Doctrinae
de vera praesentia
Corporis et sanguinis
Domini, in
S. Coena, Lipsiae
1541

2. Moeslin seu vachij
disp: II. contra
sacramentarios,
Islebid, 1561.

4

DE NATVRA
ET VSV SACRAMEN-
TORVM ET MAXIME
COENÆ DOMI-
NICÆ.

MISSAM NON ESSE
*tale sacrificium, quod ex opere operato appli-
catum alijs mereatur remissio-
nem peccatorum,*

PRÆCIPVÆ CAVSÆ,
propter quas MISSAM PON-
TIFICIAM fugere
debeamus.

Magnum hunc thesaurum has
bes in paruo libello.

ANNO DOMINI
M. D. LIX.

*Definitionem Coenæ Domini
cuius in hac Concinnata habet
Sacramentariam, quæ
sicut in his inter leges
inhibet.*

DE NATURA
ET VSV SACRAMENTI
TORVM ET SACRAM
TORVM HONORARI
TORVM

PRINCIPALIVM
ET VSV SACRAMENTI
TORVM HONORARI
TORVM

PRINCIPALIVM
ET VSV SACRAMENTI
TORVM HONORARI
TORVM

PRINCIPALIVM
ET VSV SACRAMENTI
TORVM HONORARI
TORVM

ILLVSTRIS

SIMO PRINCI-

PI ET D. DOMINO VVOL-

phango Comiti Palatino Rhani,

utriusq; Bauariae duci

D. clementis

simo.



NOVIT V. ILLV-
strissima Cels. esse scortu-
tum in aliquibus Eccle-
sijs rancidum atq; puti-
dum, quod antè triginta
circiter annos in nostris quoq; Eccle-
sijs uersabatur, & pro scorto minimè
agnosci uidebatur, imo florebat atq; à
plurimis amatoribus colebatur. Nouit
nunc idem, beneficio coelestis patris,
qui caecis natis suo Spiritu tandem o-
culos aperuit, esse reuelatum atq; ag-
nitum pro scorto & quidem putidiss-
imo, quare iacere impetuum atq; con-
fossam undiq; plagis à nostratibus im-
positis, quin & sputis per ludibrium

A ñ aspera

EPISTOLA.

asperfis, interea non deesse ex Lenoniis
bus atq; amatoribus, qui non uidentur
de eo subleuando, aut sanando labora-
re, uerum de parandis illi (ridiculum,
cum uix ægrè spiritum ducat) cincin-
nis atq; fucis. Nouit haud dubiè hæc
omnia Illustriss. Cels. V. pro sua singu-
lari pietate & sapientia, si quis alius ex
sacri Imperij Principibus, & quodnam
sit illud scortum annosum & putidum,
Nouit & genus plagarum, quæ fue-
runt illi impositæ, & per quos potissi-
mum, Nouit etiam, quinam uicissim il-
li sint, qui illius faciem adhuc uolunt
fucis illinire, ac pestilentem deformita-
tem contegere, Quare cum hi nolint
ab hac expolienda atq; exornanda desi-
stere, nec putem illi ullo modo esse par-
cendum, sed nouis plagis nouisq; spu-
tis urgendum atq; conspurcandū, dum
prorsus animam, magna agat cum infam-
ia, ob hanc causam summi cuius spi-
ritus amici mei atq; Domini, Austria-
cæ ditionis, sacris literis addictissimi
(hoc duntaxat per eum mihi liceat dis-
cere)

DEDICATORIA.

tere) libellum edo, qui infamiam atq̃
mortem ipsi scorto accelerare procul
dubio possit: Nam ualdè perspicuè, ual-
dè grauitèr atq̃ eruditè rem totam, quæ
ad scortum pertinet, ob oculos ponit
uir prudens atq̃ doctus, Quæ luscinia,
si nunc latet in Syluis, quòd ità ferant
eius rationes, prodibit aliquando in lu-
cem, non sine dulcissima melodía &
magno Ecclesiæ fructu. Vestrae uerò
Cels. Illustris. propterea hunc libellum
& uestro summè pio, & Illustrissimi
Vuirtembergensium singulari pietate
principis calculo, & literis disertissime
approbatum, adscribendum duxi (nam
autor hoc reliquit in mea potestate)
quòd meus magnus patruus ipsam u-
nicè ob incredibilem pietatem atq̃ sa-
pientiam colat & reuereatur, deindè
quòd certo sciam eam perfecto odio or-
disse, ac ualdè cupere extinctum ipsum
scortum atq̃ monstrum, Extinguetur
autem tanto citius, si V. Cels perrexe-
rit summa, qua apud omnes ualet au-
toritate, promouere atq̃ animare au-

A iij tores

EPIST. DEDICA.

tores & artifices, qui similia atq; acutis
ora indies cudant tela, quæ non modò
portentum, de quo diximus, sed Papa-
tum quoq; ipsum cum omnibus suis
uenenis conficiant. Oro cœlestem pa-
trem, ut V. Illustriss. Cels. augeat sus-
os diuinos thesauros Spiritum &
fidem per Christum
D. N

Tubingæ Calendis Octobris.
M. D. LIX.

Illustriss. Cels. V.

Observantissimus

Ludouicus
Vergerius.



RISTOTELES, IN
Ethicis, Vbi causas
proximas Actionum
Ciuium inquirat, ele-
gantem ac eruditam

Differentia
actionum, à
causis ori-
tur.

tradit actionum distinctionem,
quæ prudenter intellecta, magnis
de rebus admonet Lectorem. A-
ctionum (inquit) humanarum a-
liæ tales sunt *φυσικῆς*, hoc est, naturali
quadam inclinatione ingenij pro-
pendentis, Vt Cato natura Tetri-
cus, grauis erat morum Censor, &
sæpe obsequens suæ naturæ, seue-
rius exagitabat sui sæculi mores
paulo licentiores, Aliæ autem
sunt Actiones, quæ non tam na-
turæ impetu fiunt, quàm *ὁβριῶν*, s. per-
suasione & opinione quadam in-
consultò concepta, Quemadmo-
dum Brutus imitatus Catonis se-

Cato, natu-
ra tetricus
ac morosus.

Brutus, Sto-

A iiij ueri-

ica doctri-
na imbu-
tus

ueritatem, & Stoica illa doctrina
imbutus, multa quidē secundum
Virtutem agebat, persuasus ac
permotus Catonis auctoritate,
quem in summa admiratione a=
pud suos Ciues esse cernebat, pro=
pter illam tetricam & stoicam sa=
pientiam. Itaq; pulchrum esse
ducebat Brutus, similem esse Ca=
toni. Porro sunt & alię Actiones,
quę neq; nature imperu, neq; per=
suasione fiunt, Sed (vt Aristoteles
inquit) βυλίσει, hoc est, simulatione,
vt gloriosus miles apud Plautū,
& Traso ille Terentianus omnes
Comœdias opplent commemo=
ratione suarum virtutum, quę ta=
men reuera nullæ erant.

Postremus est gradus Actionum,
quę fuit προαίρεσις, id est, recto iudi=
tio, fontibus & causis rerum ex=
pensis, vt Fabius Maximus & Sci
pio

pio Africanus, res præclaras & salutares Patriæ gerunt cōtra Hannibalē, non cœco impetu naturæ, non persuasione aliqua moti, aut authoritate inducti aliena, non denique simulatione, aut inani iactantia, Sed spontè & recto iudicio: Iudicant enim honestum esse succurrere patriæ & defendere suos Cives, etiam cum discrimine, non solum suarum rerum, sed etiam vitæ. Huius tandem quarti generis, actiones, Aristoteli virtutes sunt, reliquarum classium actiones nomine Virtutum minimè dignantur, cum veris ex causis non oriuntur. Hanc eandem actionum varietatem in Ecclesia, & hoc tempore in causa religionis controuersæ agnoscere licet: Videas enim hodiè multos paulò rigidiores, qui aut peritiam veterum morum et

A v ceremo=

ceremoniarum in Ecclesia, aut of-
fensi etiam aliqua Gubernatorum
negligentia. Statim, vt Cato ille,
promiscuam multitudinem ad pi-
leum uocant, & stulta morositate
Ecclesias cōturbant & vastitatem
faciunt, quales vidimus nostro tē-
pore Carolo stadium, Monerari-
um, Montanum, Seruetum & si-
miles, qui si illis successisset *ἀναρχία*
in Ecclesias induxissent, cum ta-
men Euangelij prætextu, & Reli-
gionis amore vbique sua consilia
metiri velle viderentur. Alij his
non multò dissimiles fuerunt, ac
sunt, qui doxa, persuasione quadā
& in consulta imitatione Euange-
lici perhiberi volunt, vt Hutte-
nus, cum videret magno fauore
causam Euāgelij à multis bonisq̃
viris authore Luthero excipi, sta-
tim relictā & aula & amicitia Al-
berti

berti Cardinalis Moguntini, socium se causæ Lutheri adiunxit, cuius fontes ac causas minimè tamen tum adhuc intelligebat, quòd satis apparet ex illa temeraria voce, quàm frequenter iactare solebat, se malle cum Luthero errare, quàm cum Pontificijs rectè sentire. Succedunt & tertio loco illi, qui saltè *εὐαγγελιστῆς*, hoc est, simulatione sunt Euāgelici, qualis est magna pars aulicorum, qui procul vident suum Principē erga causam Euangelij affectum esse, ita & illi nunc Euāgelici, nunc Pontificij subita metamorphosi fiunt. Præter hos autem oēs, quorum nec Pietas Deo, nec conatus hominibus prudentioribus placent, sunt, qui pro hæresi, id est, maturo et libero iudicio, re expensa, et causæ fontib. perspectis, studium conferunt ad propagationem

gationem Euangelij, veraq; pieta-
te Deum colentes, religionis ex-
ecrantur corruptelas, & sese abi-
dolatricis cultibus quàm longissi-
mè fieri potest, subducunt. Sed
dices, quorsum hæc, tam procul
repetita: huc nimirum, vt osten-
dam idem plurimis, & in vsu hu-
ius Ceremoniæ, quã vsitatè Mis-
sam vocant, accidere, quod in ci-
uilibus actionibus, ac etiam in ne-
gotio Euangelij, nunc à multis fie-
ri diximus: Passim enim multis lo-
cis Europæ quàm plurimos repe-
rias, qui totum pontificiorum re-
gnum fortiter oppugnant, cere-
monias contēnunt, Missam hanc,
de qua verba facturū sumus, vt vel
ipso intuitu se contaminari cre-
dunt. Verum si hos interroges,
cur id faciant, alius aliud responde-
bit. Sunt qui veterum ceremonias
quasi

quasi pertesi, nihil approbant, nisi
quod nouum est. Alij doctorum
& magnorum virorum auctori-
tate persuasi, hanc ceremoniã Mis-
sæ diligenter vitant fugiuntq̃.
Plurimi sunt, qui illud Pythago-
reorum *αὐτὸς ἑρπετὸς* interrogati, respon-
dent. Paucissimos inuenies, qui
fontibus rei cognitis, vero iudi-
tio ad hanc ceremoniam fugien-
dam ducantur. Hæc cum apud
me ipsum sæpius perpenderem,
non inutile mihi fore visum est, Si
breui oratione huius controuer-
sæ fontes aperirem. Dicam
igitur & breuiter, & sinè vllò ora-
tionis apparatu, aut splēdore quid
de Missa illa Pontificia Christia-
no sentiendum sit, & pariter qui-
bus de causis fugienda. Et vt no-
stra oratio ordine procedat, his ca-
pitibus tota de hac re suscepta di-
sputa-

Propositio
totius scri-
pti huius.



sputatio continebitur.

1 Primo, de natura & usu Sacramentorum, & maxime Cœnæ Domini dicemus, et quomodo quoque tempore in Missam hanc tam turpiter degenerauerit, cum ex Sacris literis, tum ex historijs Ecclesiasticis repetemus.

2 Secundo, Missam hanc, propter quã Põtificij, veluti olim Græci ob Helenã cum Troianis, nobiscum cõtendunt, tale sacrificium nõ esse p̃bamus, quod ex opere opato applicatum, alijs mereat remissionẽ peccatorum, aut alia premia spiritalia, & corporalia, vt falso iactãt Monachi, & indocti Sacrificuli.

3 Ultimo, cur & quibus de causis p̃ij, & syncerioris religionis amantes ab istis spectaculis Missæ Pontificiæ et prophanationibus cœnæ Dominicę, oculis & aurib, adeoque toto pectore abhorreere debeãt, firmis

mis

mis rationibus ostendemus.

DE PRIMO LOCO.

STatim post lapsum primorū pa-
rentū, Deus bonitate & miseri-
cordia ineffabili, edito verbo pro-
missionis, patefecit voluntatē suā,
de delendo peccato, & morte eter-
na, ppter semē mulieris futurum.
Obruti. n. sensu iræ Dei, propter
admissum peccatū, animos despon-
dissent Adā & Eua, nisi huius edi-
te pmissionis fiducia sese sustinu-
issent, confirmassent q̄. Huic pro-
missioni, quā quidem Moses Ge-
neseos 3. cap. recitat, adiunxit ilico
Deus externū, ac visibile signum,
vestes pelliceas, q̄bus veluti Sacra-
mēto pmissionis suæ admonebat
Adam, & rectē subindicabat, futu-
rum esse, ut indueretur rursus no-
ua iustitia & propter victimā A-
gni recipetur in gratiam, aboli-
to peccato & morte, cui propter
ino-

inobedientiam factus fuerat obnoxius.

Patriarcharum Sacramenta quæ

Porro hæc eadem primis parentibus ædita promissio, subinde renouata est, & Patriarchis repetita, cui & pariter additæ sunt externæ & veluti Sacramentales ceremoniæ, vt Sacrificia. Abel, Seth, Noe, Enoch, quæ spontè & cœlitus incendebantur, offerebantur enim agnus, qui consumebatur cœlesti flamma, quod & testimonium illis erat recõciliationis, & simul significabatur venturæ hostiæ, Christi passio, de qua promissio facta fuerat.

Abrahæ & Iudeorum Sacramentum, circumcisio fuit.

Posteà verò & ipsi Abrahæ clarius proposita est hæc de reconciliatione generis humani promissio, In semine (inquit) tuo benedicentur omnes Gentes, Hæc autem diuinæ promissionis vocem, vt constan-

constantiori fide Abraham & ip= sius posteris, omnes exciperent, crederentq; adiunxit pariter De= us huic promissioni externum Symbolum, tanquam sigillum ut Paulus ad Rom. iij. appellat, Cir= cumcisionem uidelicet, qua Abra= ham, uniuersaq; eius posteritas, quæ quidem in futurum Messi= am creditura erat, admonebatur de futuro semine promisso, quod erat Christus benedictus.

Ad eundem modum post ex= hibitum Christum, et redemptum genus humanum, edita est ex= pressis uerbis promissio Euange= lii de remissione peccatorum, do= natione Spiritus sancti, & uita æ= terna, cui promissioni pariter, ut in ueteri Testamento addita sunt Symbola & Sacramenta, quæ in= currerēt in oculos, & nos subindè
B admone=

admonerent, & simul fidem nostram confirmarent, ne de bona Dei erga nos uoluntate addubitareremus, sed potius statueremus nobis certò beneficia Christi exhibita iri, quæ promissione continerentur.

Itaq; uoluit hoc modo Deus ab initio imbecillitati humanæ consultum, ut non solum nudã promissionem proponeret, verum etiam externa Sacramenta addidit. Pelliceas tunicas Adæ & Eue, Patriarchis ignem cœlestem, Iudeis Circumcisionem, nobis Baptismum et Sacramentum corporis & sanguinis Domini, quibus signis tanquam sigillo fides promissionis confirmaretur in nobis, & subindè cresceret. Is enim proprius et principalis est Sacramentorū omnium finis, quæ etsi diuersis tēpori-

pori-

poribus, alia atq; alia specie diuer-
sa instituta fuerit, ad eundē tamē
finem atq; usum proposita sunt.

Ex his autem, quæ hæctenus in
genere dicta sunt de usu Sacramē-
torum, non difficile fuerit consti-
tuere, & singulorum & omnium
simul descriptiones: Sunt enim
Sacramenta aliud nihil, quam acti-
ones, seu ceremoniæ diuinitus in-
stitutæ, adiunctæ promissionibus
Euangelij, admonentes nos de
bona Dei uoluntate erga nos, de
reconciliatione, remissione pecca-
torum & reliquis Christi benefi-
cijs, quæ externæ actiones, incur-
rentes in sensum & oculos simul,
confirmant nostram fidem, ut cer-
tò statuamus propter Christum
uictimam nos reconciliatos Deo,
habere remissionem peccatorum,
nouam iustitiam, et uitam æternā,

Quid sine
Sacramen-
ta.

B ñ Tanta

Tanta enim est humanæ mentis
cæcitas, tam profunda rerum cœ-
lestium obliuio, & statim promissio-
nis diuinæ obliuiscerentur ho-
mines, nisi hæc externa Symbola
Sacramentorum adiuncta essent,
quæ in sensum incurrentia subin-
de memoriam passionis & benefi-
ciorum Christi in animis renoua-
rent.

Ad hæc voluit etiam Deus, hæc
sua Sacramenta esse quasi neruos,
& vincula publicorum cœtuum,
quos vult celebrari in Ecclesia, vt
publicè sonet vox Euāgelij, pro-
pagetur & conseruetur memoria
beneficiorum Christi redempto-
ris. Cæterum ad id præ ceteris
conducit forma ac institutio cere-
moniæ cœnæ Dominicæ, de qua
præcipue nunc nobis institutus
est sermo, Nam in formula insti-
tutionis

tutionis apud Paulum nomina=
tim additur (cum conuenitis) Er=
go vult Deus conuentus & coe=
tus frequentes in celebratione hu=
ius Sacramenti fieri, vbi fit cōme=
moratio beneficiorum filij Dei.

Porro formulam institutionis
cœnæ Domini, seu Sacramenti
corporis & sanguinis Domini,
referunt non solum Euangelistæ
bona fide, sed etiam Apostolus ad
Corin. ii. recitat his verbis, Ego
enim accepi à Domino, quod &
tradidi vobis, Quod Dominus Ie=
sus in ea nocte, qua traditus est, ac=
cepit panem, & postquam gratias
egisset, fregit ac dixit, Accipite, e=
dite, hoc meum est corpus, quod
pro vobis frangitur, hoc facite in
mei commemorationem, Ad eun=
dem modum & poculum peracta
cœna dicēs, hoc poculum nouum

B iij Te=

• Testamentum est in meo sanguine,
• ne, Hoc facite quotiescunq; bibe-
• ritis in mei commemorationem.
• Quotiescunq; enim comederitis
• panem hunc, & poculum hoc bi-
• beritis, mortem Domini annun-
• ciate donec uenerit.

Hęc autem uerba institutionis,
ideo integra ex Paulo adscribere
placuit, quoniam ex his optimè
constitui potest, quæ sit & natura
& uerus usus huius sacrosanctæ
actionis, quam ex hoc loco descri-
bere licet in hunc modum.

Cœnæ Do-
mini defi-
nitio.

Cœna Domini est Sacramen-
tum, seu sacra actio, à Domino in-
stituta, in qua fidelibus sub specie
panis & uini suum corpus & su-
um sanguinem exhibet, ad man-
ducandum & bibendum, ad con-
firmationem fidei, intuentis et ac-
cipientis promissionem Euange-

lij

liij de reconciliatione, & remissionem peccatorum, simul ut propagetur et conseruetur memoria beneficiorum Christi, quæ nobis sua passione & resurrectione demeruit. In hac descriptione, uniuersa essentia huius Sacramenti commemoratis causis aptè compræhensa est. Nam & efficientis materialis, & personalis causæ, non solum hic fit mentio, sed etiam finalis, adeoque usus atque effectus huius actionis commemoratur: Iubetur enim sic usurpari hæc sacrosancta Cereponia, ut commemoratio passionis et beneficiorum Domini simul celebretur, & eorum memoria conseruetur, propageturque, ut hoc modo crescat & confirmetur in animis nostris, fides promissionis Euangelij, quæ sanè in hac imbecillitate naturæ humanæ statim languesceret,

B iiij ac

ac tandem extingueretur, nisi sub=
indè externis signis & Sacramen=
tis renouaretur, confirmareturq̃,
Atq̃ hic vltimus et principalis est
finis, vt reliquorum omnium, ita
maximè Sacramenti corporis &
sanguinis Domini, sicut supra iam
prolixius dictum est. Sed de natu=
ra ac vsu cœnæ Domini satis sint
hæc.

Fuit autem initio nascentis Ec=
clesiæ, post ascensionem Domini
simplicissima, & minimè ad pom=
pam externam accommodata cœ=
næ Domini ceremonia, quemad=
modum apparet ex narratione di=
ui Lucae in actis Apostolis. Con=
ueniebāt enim discipuli, ac eorum
auditores, in alicuius p̃ij hominis
ædes, ibi per actis precibus, & le=
cta ex Prophetis libris lectione,
aliquis ex Discipulis sermone, &
Spiri=

Spiritu instructior, uerba de beneficijs Christi, de morte & resurrectione faciebant, ac inde iuxta institutum Domini frangebant, ac distribuebant sacrum panem & calicem, in quo & sub quo, corpus, & sanguis Domini distribuebatur, in memoriã passionis ipsius.

Postremò, actis gratijs Deo, pro redemptione generis humani, & conseruatione Ecclesiæ, dimittebatur cœtus: hoc tam sobrio apparatus tum hæc sacrosancta ceremonia ab Apostolis frequenter, ac ferè quotidie peragebatur, quã alias fractionem panis, alias cœnã Domini, alias synaxim, postea agapen & lyturgiam vulgò appellabant. Nam uocabulum Missæ, unde, aut quando huic sacre actioni inditum sit, etiam eruditi dubitant, Sed recentiore esse appella-

Vocabulum
Missæ.

B v tionem

tionem certum est, quam inde factam esse credo, quod quum cœtus piorum ad hanc Domini cœnam celebrandam cōueniebat, mittebantur à ditioribus collectę, seu Elemosinæ, quæ peracta cœna sacra, pauperibus distribuebātur, sed de appellatione satis in præsentia dictum est.

Locus Plinij Jun.

Quod autem talis in primitiua Ecclesia fuerit cœnæ Domini celebratio, non solum sacre historię, sed etiam prophani scriptores testantur, Nam Plinius Iunior in Epistolis ad suum imperatorē Traianum scribit, quæstionem habitam esse Romæ in eos qui Christiani dicuntur, sed nullum in illis deprehensum esse flagitium, quod morte dignum esset, nisi quod singulis diebus ante Lucano tempore (ut ipse loquitur.) conuenirent ad
hymn

hymnos cantandos Deo , & suo
Christo , in quibus conuentibus,
sinè vllō maleficio , panem & vi-
num gustabant, in symbolum (vt
dicitur) mutuae dilectionis.

Porro frugalitatē hanc & simpli-
citatē in celebranda coenae Domi-
ni, quae frequentissimè peragebat̃,
longo tempore coluerunt & reti-
nuerunt Apostolorum & prioris
Ecclesiae discipuli. Postea tamē, vt
apparet ex historijs Ecclesiasticis
Eusebii Cæsariensis, & aliorū plus
accessit ceremoniarū & cationum
fortassis, vt cœtus isti essent augu-
stiores & politiores, præsertim cū
iam nō in priuatis ædibus, vt pri-
us, sed in publico aliquo loco cele-
brarentur. Nihil tamen adimit de
priori institutione coenae domini-
cæ hanc ceremoniã, augustius cele-
brari, quàm antea quottidie fieret.
Tandem

Tandem progrediente tempo-
re, cum Episcopi & Ecclesiarum
Pastores non solum negligenti-
ores in erudienda plebe, sed e-
tiam rudiores fierent, non solum
plus cæremoniarum, ad celebra-
tionem cœnæ Domini, uerum e-
tiam quadam cacozelia, immuta-
batur, & corruptelæ latenter irre-
pebant; Nam totus ille habitus,
quo nunc sacrificuli Missam suam
celebraturi ornantur, tum inutilis
ac excogitatus est, eo (ut inqui-
unt) fine, ut ipse Minister sacra
peragens, tanquam Roscius quis-
piam in scœna historiam passionis
Christi ipso habitu repræsentaret.

Nec ita multo post, circa tem-
pora Ambrosij & Augustini cæ-
pta est fieri mentio Martyrum &
eorum, qui propter Confessionem
Euangelij mortem obiissent, non
qui-

quidem tum (ut arbitror) dolo malo, sed parum tamen foelici successu. Nam inde postea inuocatio Sanctorum in uulgus emanauit, cum duntaxat eorum in coena Domini fieret mentio, ut Ecclesia excitaretur, cum ad constantiam fidei et confessionis, tum ad agendas gratias Deo, pro his organis, quae ad Ecclesiae aedificationem excitasset, Incognita enim adhuc istis temporibus fuit Idolomania, quam hodie in cultis mortuorum flagitiosè exercent. At nunc longè alio sensu in suo Canone Sacrificuli Apostolorum & Martyrũ nomina recitant, ut satis constat.

His autem additionibus circa ceremoniam coenae Domini, quae prima fronte nõ tantum mali praeseferre uidebantur, quantum postea insecutum est, non enim contenta

Gregorius
Magnus.

tenta fuit sequens ætas his addita-
mentis, sed immani audacia, &
pernicioso exēplo cumulatae sunt
alia ineptæ & supersticiosæ cere-
monia, quæ & dignitatem huius
Sacramenti deformarunt, & verū
vsum obscurarunt: Præcepta est
enim tum opinio de applicatione
Missæ pro viuis & mortuis, quam
superstitionem auxit ac confirma-
uit Gregorius Magnus Pōtifex,
motus quibusdam visis & appari-
tionibus animarum postulantium
Missarū sacrificia, vt à pœnis pur-
gatorij liberarent, qua sanè falso o-
pinione recepta, in infinitum cu-
mulatae sunt Missæ, & tum non
Sacramēti, sed sacrificij nomine in
omnibus tēplis ceremonia cœnæ
Domini ab impuris & indoctis sa-
cificulis & Monachis peragebat,
quæstus gratia, ita, vt hodiè vide-
mus

mus magnam turbam ineruditorum & impiorum hominum ordinaria Pontificibus & Episcopis ad eiusmodi Missarum nundinationem exercendam.

Atque ita paulatim mutata institutione cœnæ Domini & abolito vero usu Sacramenti corporis & sanguinis Domini Iesu Christi, degeneravit hæc sacrosancta actio in spectaculum inane, ac ridiculum, genere prorsus diuersum, in quo impurus aliquis sacrificulis, questus gratia, ignarus quid agat, histrionum more verba institutionis non intellecta demurmurat, & additis quibusdam preculis idololatricis, sacrificium se gratum Deo, quod applicant alijs, viuis ac mortuis, remissionem peccatorum, remissionem poenarum ex Purgatorio, & huiusmodi alia se offerre iacet,

ctat,

ctat, id quod eorum conciones & Monachorum libri etiam hodie testari possunt, Quãuis nunc quidam ex ipsis calidi, has absurditates dissimulare conantur.

Neq̃ tamen adhuc sentinã huius mali moueo, nec præcipua idolatriæ & impietatis capita, quæ prætextu Missæ Pontificiæ teguntur, retego, id quod tertio huius disputationis capite apertius facturus sum, sed nunc duntaxat, indicare uolui, quomodo paulatim partim ambitione, partim inscitia Episcoporum, mutata forma cœnæ Domini, extinctoq̃ uero usu huius actionis, ex Sacramento salutari, commenticiium Sacrificium factum sit, quod oblatum, ad omnia impetranda, tanquam gladius Delphicus, ualeat. Quæ igitur sit natura Sacramentorum
in

in genere, & quis sit verus eorum
vſus, & maximè cœnæ Domini,
dictum eſt. Deinde ſubiunximus,
quomodo paulatim cumulatis ſu-
perſtitionibus, & imutata forma
inſtitutionis, abſolito vſu degene-
rauerit in opus toto genere di-
uerſum, quod ipſi ſacrificium ap-
pellant id, quod quam rectè & ap-
poſitè fiat, in ſecundo nunc Capi-
te examinabimus.

DE SECUNDO CAPITE.

Diximus ſuperius breuiter, de
Origine & incremento Miſ-
ſæ Pontificiæ, quæ indoctorum
& impiorum hominum flagitio-
ſa audacia eò creuit, vt totius Ti-
rannidis Pontificiæ fundamen-
tum uideri poſſit, dum eam vulgò
venditant pro ſacrificio, quod di-
gnitate & vſu hoſtiæ Chriſti, ſe-
mel

mel in ligno crucis factæ æqui-
polleat, quodq; ex opere operato
applicatum alijs & facienti remis-
sionem peccatorum, & alia corpo-
ralia & spiritualia beneficia mere-
atur, quod quam absurde, quamq;
impiè dicatur & doceatur, nunc
demonstrabimus.

Initio nobis discrimen statu-
endum est, inter hæc duo actio-
num genera, hoc est, Sacramen-
tum & sacrificium, ex quo statim
liquido apparebit, Missam Ponti-
ficiam, cui cœnæ Domini appel-
lationem non tribuo, cum sit poti-
us illius corruptela, non esse sacri-
ficiū, quod ex opere operato pro-
fit, aut applicatum mereat remissi-
onem peccatorum, & mitigatio-
nem pœnarum Purgatorij. Sa-
crificium igitur est ceremonia seu
opus, quod reddimus Deo, vt &
hoc

Sacrificium
quid.

hoc opere nostram attestemur gra-
titudinem & obseruantiam, & si-
mul illud honore afficiamus, nec
est signum additum promissioni
confirmans fidem. Sacramen-
tum vero, est cæremonia seu actio
adiuncta promissioni, in qua acti-
one Deus nobis aliquid exhibet,
vt in vsu cœnæ Domini distribui-
tur fidelibus & agentibus pœni-
tentiam, corpus & sanguis Do-
mini, & simul datur per fidem re-
missio peccatorum, noua iusticia
& vita æterna, in sacrificio autem
nihil dat nobis, sed damus aliquid
Deo, nempe gloriam & obedi-
entiam gratiarum actionem.

Sacramen-
tum quid.

Abel offerens Deo tribuit illi
gloriam omnipotentia, Sapien-
tia & bonitatis, & hoc ipso o-
pere testatur, se sentire, quod sit
Deus, exaudiens preces, iuuans,
C ij susten-

sustentās hanc vitam, pro quibus,
vt suam gratitudinem & obedi-
entiam declaret, offert de suis facul-
tatibus primitias.

Cæterum, quando videt Abel
suam hostiam igne cœlesti absu-
mi, agnoscit se gratum esse Deo,
& placere propter futuram hosti-
am Benedicti seminis, quod est
Christus agnus ille immaculatus.
Sit itaq; hoc discrimen inter sacri-
ficium & Sacramentum, quod in
sacrificio offerimus & damus ali-
quid Deo, nempe honorem, gra-
tiarum actionem, &c. In Sa-
cramento vero Deus nobis ali-
quid offert, & dat, nimirum re-
missionem peccatorum, vitam æ-
ternam, propter fidem in Chri-
stum, cuius beneficia in vsu Sacra-
menti nobis applicantur.

Iam perpendè, quàm inani au-
dacia

dacia Pontificij hæc duo genera
actionum confuderunt & per=
mutauerunt, dum ipsi suam Mis=
sam (quæ si institutionem Domi=
ni retineret, & omni correpta ca=
reret, cœna Domini appellari pos=
set) sacrificium & non Sacramen=
tum esse & haberi volunt, Si illis
hæc licentia concedatur, vt ex Sa=
cramento faciant prolibito sacri=
ficiu, quid reliqui poterit esse in
scriptura sacra, quod similem Me=
tamorphosin illis authoribus sub=
ire non possit? Sed scimus nullam
actionem, aut ceremoniam huma=
na authoritate institutam, nec sa=
crificij, nec Sacramenti rationem
habere posse, cum clarè dicitur,
Frustra colitis me mandatis & cõ=
stitutionibus hominum, Et quo=
niam, vt dictum, Sacramenta non
solum sunt symbola Religionis

C iij discer=

discernentia Christianos ab homi-
nibus prophanis, sed etiam sunt
signa promissionum, & efficacia
testimonia bonæ voluntatis Dei,
erga nos, quæ sanè humana autho-
ritate constitui non posse, etiam ra-
tio docet. Cum autem Missa
Pontificia, qualem hodiè Mona-
chi & sacrificuli passim in angu-
lis templorum, & etiam in cubi-
culis potentum & diuitum Ma-
tronarum celebrant, longissimè
absit à vera cœna Domini, vt in-
fra clarius ostendemus, & merum
humanum sit inuentum, multi-
plici idololatria contaminatum,
nequaquã autem sacrificium uel
Sacramentum esse poterit.

Sed quod rationem aliquam
Sacramenti corporis & sangui-
nis Domini habere possit Missa
angularis sacrificulorum, qua au-
thori-

thoritate probabit illam, cum
Sacramentum sit, in sacrificium
conuerti potuisse? Dominus
in cœna vltima suum corpus &
suum sanguinem discipulis distri-
buit ad manducandum & biben-
dum, non ad offerendum, hoc est,
vt illis esset Sacramentum, non
sacrificium, & quidem tale sacri-
ficiū, quod oblatum pro alijs re-
missionē peccatorum mereretur,
quod esse non posse scriptura te-
statur, Nam Paulus ad Heb: lon-
ga oratione probat, vnicum tan-
tum fuisse & esse in mundo sacri-
ficiū propiciatorium, hoc est, ta-
le, quod applicatum mereatur re-
missionem peccatorum, nempe
Passionem seu mortem Christi v-
nica (inquit) oblatione perfectos
effecit in perpetuum eos, qui san-
ctificantur, Item hæc vna tantum

C iij pro

pro peccatis oblata victima per=
peruò sedet ad dexterā Dei. Item,
id semel fecit, cum seipsum obtru=
lit, & non potest sanguis Tauro=
rum et Hircorum auferre peccata
Ex quibus omnibus sequitur nul=
lum esse cultum, aut sacrificium in
nouo Testamento, quod ex opere
operato mereatur, aut facienti, aut
alijs remissionē peccatorū quem=
admodum Pharisæica persuasione,
de sua impia Missa, nostri sacrifi=
culi iactitant, præter solam Christi
hostiam & sacrificium, cui sanè, si
opus sacrificuli missantis (vt ita di=
cam) quis conferre velit, sacrile=
gium eum committere clara voce
testamur. Sit itaq; id initio con=
stitutum, Missam Pontificiam, si=
ue Sacramenti rationem habeat, si=
ue sit humanum cōmentum, ne=
quaquā posse esse sacrificium pro=
piciato=

piciatorium , quod mereatur remissionem peccatorum, quæ nullis operibus, nullisque sacrificiis ulli contingit, nisi propter vnicum Christum, Sacerdotis nostri sacrificium in ara crucis oblatum.

Porro quanta animorum acerbitate, pro hac sua cõmentitia Missa contendant Pontificij, quam egrè hunc titulum detrahi paciuntur, ostendit non Tirannis & carnificina solum, quam hodiè exercent in pios, qui hanc Idolatricam Missam damnant, aut fugiunt, verum etiam Monachorum & Sophistarum scripta & conciones, in quibus omnis generis sophistica & præstigijs tutari & confirmare student hanc vulgò conceptam de sua illa Missa opinionem, quod videlicet sit sacrificium, non solum Eucharisticum, sed etiam

C v pro=

propiciatorium et promereri gra-
ciam remissionemq; peccatorum
ex opere operato, & facienti & a-
lijs, quibus applicari uolunt. Et
ut hanc contumeliosam aduersus
passionē & beneficia Christi per-
suasionem confirmant flagitiosè,
& sacrae scripturae testimonijs, &
sanctorum Patrum autoritate, ut
uidere est in illis blasphemis con-
cionibus, quas Augustæ in Con-
cilijs Imperij euomuit ille suffra-
ganeus Moguntinus, qui ad Pa-
trocinium huius prophanacionis
cœnæ Dominicæ & dicta Pro-
phetarum & ueterum Scriptorū
locos & autoritatem turpissimè
usurpat.

Malachias:

Ac initio ex Malachia Pro-
pheta, quem falso sui commenti-
tj sacrificij patronum iactant, ci-
tatur

tatur hic locus, ab ortu Solis usq̃
ad occasum, magnum est nomen
meum in gentibus, (dicit Domi-
nus) & in omni loco sacrificatur
& offertur nomini meo oblatio
munda, quia magnum est nomen
meum in gentibus, dicit Deus ex-
ercituum. Hanc autem mundam
oblationē, quam ubiq̃ terrarum
sibi offerri dicit Deus, lepidi homi-
nes sacrificiū suæ Missæ esse inter-
pretātur, quasi Propheta abolitis
Mosaicę legis Sacrificiis, de nouo
aliquo noui Testamenti sacrificio
uaticinetur, quod exhibitum me-
reatur remissionem peccatorum,
Quod si id uerum esset, & fides
extingueretur, & meritum passi-
onis & mortis Christi tolleretur
euacuareturq̃, Nam si opus alicu-
ius impuri sacrificuli seu Missa, es-
set

set tale Sacrificium, quale esse prædicant, promerens remissionem peccatorum & uitam æternam, ex opere operato, quid opus esset fide, quid opus gracia, quid denique ualeret mors et Sacrificium Christi semel peractum? Hanc blasphemam & contumeliosam doctrinam, aduersus mortis & passionis Christi meritum, Prophetam in hoc dicto non tradere, quis tam impudens, aut peruersè impius esse queat, qui asseueret?

Propheta enim in loco citato, nihil de hac Missa, aut Papistico Sacrificio uaticinatur, sed dicit fore, ut exhibito Messia in nouo Testamento, illi ubique terrarum offeratur hostia munda, hoc est, prædicatio Euangelij de Christo, in qua nos offerimus Deo hostias spirituales, seu (ut psalmus loquitur)

tur) hostias laudis, & fructum labiorum nostrorum, hoc est, uerā inuocationem, gratiarum actionem pro exhibito Christo, & redemptione generis humani, confessionem ueritatis, studium defendendæ & propagandæ gloriæ Dei, & similes cultus spirituales, quos offerunt Deo illi, qui credunt prædicationi Euangelij, sicut i. Petri ij. cap, dicitur, Sacerdotium sanctum estis uos, ut offeratis hostias spirituales, acceptas Deo.

Hæc autem sunt fidelium in nouo Testamento Sacrificia *ευχαριστία*, seu gratiarum actionis, de quibus passim & Psalmi, & hic Malachias concionatur, quæ nō sunt propiciatoria Sacrificia, quæ mereantur remissionem peccatorum, nec ualet ex opere operato, ut sacrificu
li de

li de suo Missæ sacrificio nugantur, sed propter fidem in Christum sunt grata Deo opera, & sacrificia gratiarum actionis, Nullum enim opus est aut sacrificium, quod mereatur remissionem peccatorum, præter mortem & meritum passionis agni immaculati, vt superius dictum est. Apparet itaq; quam impiè & veteratorie detorqueant Prophetæ dictum ad suæ Missæ sacrificium propugnandum.

Sed sunt quidam inter Satellites Pontificios aliquando verecundiores, qui cum intelligant cõmentum illud de suæ Missæ sacrificio non procedere, ad alia confugiunt auxilia, Aiunt enim Missam non esse sacrificium illud, quod primo & per se mereatur remissionem peccatorum, & vitam æternã, sed tamen eam esse cõmemorationem
verì

veri et vnici sacrificij Christi semel
peracti, quod opere Sacerdotis sa-
crificantis applicetur reliquis.

Horum astutia non minus exe-
cranda est pijs, quàm illorum im-
pudentia, qui auctoritate Prophe-
tæ simplicibus fucum facere stu-
duerunt, Nam & fidem abolet, &
merita & beneficia vnici sacrificij
Christi obruit ac delet hæc opi-
nio. Non enim fructus Passio-
nis & sacrificij Christi, opere Sa-
cerdotis in Missa alijs applica-
tur, sed propria fide, apprehen-
dente misericordiam Dei in Chri-
sto exhibitam, quisq; sibi bene-
ficia Christi applicare debet, iu-
xta illud, iustus fide sua viuet,
Item, vnusquisq; mercedem ac-
cipiet iuxta fidem & laborem su-
um, id quod clarè etiam docet
parabola illa apud Matthæum,
de

de fatuis virginibus . Nullum enim opus est, quātumuis bonum, quod pro alijs applicari possit, præter vnicum Christi Redemptoris sacrificium, quod quisq; propria fide applicare debet, Cætera omnia bona opera fidelium, quæ sacrificia sunt *ὁμοειδή* ita profunt facientibus, sicut quodlibet bonum opus facienti prodest, quæ tamen minimè applicari alijs possunt, vt mereantur remissionem peccatorum . Quare falsa est persuasio, quòd beneficium sacrificij Christi, opere sacrificuli in Missa applicetur alijs, iuxta illud, Iustus fide sua viuet, quo dicto manifestum est reconciliationem & remissionem peccatorum fide nos ppter Christum, non propter ullum opus nostrum, aut sacrificuli Missantis consequi, Sed quid longa disputatione

tatione in re manifesta opus est.
Quemadmodum olim Pharisei
Hierosolymis arbitrabatur, se me-
reri sibi & alijs remissionem pec-
catorum & nouam iustitiam suis
hostiarum mactationibus, ita ho-
diè sacrificuli & Monachi suam,
quam (vt putant in Missa pera-
gunt) oblationem fingunt se me-
reri remissionem peccatorum sibi
& alijs, viuis & mortuis. Ex quo
Pharisaico & Diabolico errore,
horrendi abusus irreperunt, quos
Pontificij, qui coenam Domini in
impiam Missam transformata,
in quæstum conferunt, acerbissi-
mis odijs & pœnarum crudelitate
hodiè defendunt.

Necesse . n. est, propugnatores
horum errorum simul fateri, quod
vna Christi oblato in cruce nõ sa-
tisfecerit pro vniuersa Ecclesia,

D sed

sed se in sua Missa tale statuere uolunt sacrificium, quod mereatur gratiam & remissionem peccatorum, quam tamē nos nequaquam propter opus illud sacrificuli suā demurmurantis Missam, sed fiducia misericordiae promissę propter filium Dei pro nobis crucifixum consequi, uniuersa Prophetarum & Apostolorum scriptura testat̃.

Postremo quantū est impietatis & blasphemiarū, in illo suo Canone Missę vbi disertē dicunt, se filiū Dei offerre, & Deū orāt, ut oblationē hęc sui filij, ita acceptā habere velit, vt Abelis aut Isaac, etc. Horrenda hęc sunt & dictu et auditu, Non. n. arbitrij humani est offerre filium Dei Patri, sed propriū opus est Christi Redēptoris, qui agnoscens irā Dei aduersus peccata generis humani, huic irę sese subiecit,

cit, & ingrediens in sanctum san-
ctorum, Mediator & intercessor
factus est inter Deū & genus hu-
manum, quemadmodum ad Hæ-
breos 9, cap. dicitur, per proprium
sanguinem intrauit semel in san-
cta sanctorum, eternā redemptio-
nem inueniens, Item qui Spiritu
æterno seipsum Christus obtulit
inculpatum Deo. Non igitur
humanum opus est offerre filium
Dei, sed nostrum potius est, illam
semel ab ipso filio Dei factam o-
blationem agnoscere & credere,
eam, nobis placatum esse eternum
patrem, & pro ea assidue gratias
agere Deo. Explodantur itaq;
Pharisaicæ persuasiones ex Ec-
clesia, quibus fascinari homines
Missam tale sacrificium arbitran-
tur, quod applicatum alijs re-
missionem peccatorum mereatur,

D ij Cum

Cum sola Christi mors sacrificium nobis sit perpetuum, pro omnibus totius mundi peccatis, quod non opere Sacerdotis in Missa applicatur singulis, sed quisque in vero & legitimo usu Sacramenti, corporis & sanguinis Christi, propria fide sibi ipsi applicare debet, cuius sacrosanctæ coenæ Domini verum usum & fructum non patiamur transformari in commentitium sacrificium, quod in sua Missa se peragere, falso sacrificuli docent. Immane enim sacrilegium est, Sacramentum corporis Domini permutare in sacrificium, quod postea ad questum conferatur, ut hodie passim fieri videmus in regno Pontificio.

Sed pugnant Aduersarij veterum scriptorum sententijs, apud quos passim coenam Domini sacrificium

crificium appellari legitur, citat ille
Sydonius suffraganeus Mogun-
tinus, ex Ignacio, vetustissimo scri-
ptore, pariter & ex Tripartita hi-
storia, alijsq; Ecclesiasticis scripto-
ribus aceruum testimoniorum, v-
bi cœna Domini sacrificium ap-
pellatur. Ad hæc perspicua &
firma est responsio, Primò, nus-
quam leguntur apud veteres scri-
ptores Ecclesiasticos ista errorum
portenta, quibus scatet Missa Pa-
pistica: Neque enim tempore
Ignacii, Augustini aut Ambrosii,
tam procul ab institutione cœ-
næ Domini recesserat Lichurgia,
quam isti Missam & sacrificium
interpretantur, Item, nec tum
privatæ Missæ aut oblationes in
Ecclesia erant, nec applicabatur,
aut in questum conferebatur cæ-
remonia cœnæ Domini, sed die-
bus

D iij bus

bus Dominicis, publica quædam
Missæ celebrabatur, in qua exami-
natis & petentibus distribuebatur
corpus & sanguis Domini, nec
vlla oblationis mentio fiebat. Hæc
publicam cæremoniã Patres alias
appellabant, vt supra dictum est,
Synaxin cõmunionem corporis
& sanguinis Domini *ἀγάπη & λήθη*
γίου, hoc est, publicũ ministerium,
Nam id significat ea vox etiam a-
pud Græcos scriptores, vt apud
Demosthenẽ in oratione *πρόσκλησις*
publicum munus significat. Non
igitur rectè redditur *λήθη*, nomi-
ne sacrificij.

Sed donemus apud veteres Ec-
clesiasticos scriptores cœnam Do-
mini *Lithurgian* vel missam vo-
cari sacrificium, Quid inde effici-
ent Aduersarij? Nos ipsi fatemur
cœnã Domini seu Missam, qualis
temporibus Augustini, Hierony-
mi,

mi, Ambrosij habebatur, fuisse, & rectè dici potuisse sacrificium, videlicet Eucharisticum, hoc est, gratiarum actionis, sicuti sunt reliqua omnia Christianorū bona opera.

Statutum igitur sit, cœnam Domini nō sacrificium esse applicandum alijs, viuis & mortuis, promerens remissionē culpæ & pœnæ, sed esse salutare Sacramentum institutum ad confirmandam fidem, in quo remissio culpæ & pœnæ offertur credētibus propter Christum, quæ beneficia, si Missa Papistica conferret (vt isti volunt) par esset & dignitate & merito morti Christi, quid potest dici absurdius aut magis blasphemum? Sed nunc his omissis, quæ a multis præstantibus viris nostræ, ætatis disertè & copiosè disputata sunt, ad vltimum nostræ ora-

D iij tionis

tionis membrum transferatur sermo.

DE TERTIO LOCO.

Q Vis verus vsus Sacramentorum, & præcipuè cœnæ Dominicæ esse debeat in Ecclesia, quomodo & quando degenerauerit in Missam Pontificiam, supra ostendimus. Docuimus etiam deindè Missam, quam hodiè pro sacrificio vsurpant ac venditant sacrificuli, nequaquam aut esse aut dici debere sacrificium, promereri reconciliationem, remissionē peccatorum, aut pœnarum certarum mitigationem. Nunc restat, vt quod tertio membro proposueramus dicendum, aggrediamur, & firmas causas ac rationes afferamus, propter quas nemo, cui quidem gloria Dei, ac sua salus curæ est, hanc Missam frequentare, audire

re

re aut interesse, dñ peragitur, debe-
at. Immutabile et eternum Dei man-
datum est, omnibus creaturis, ra-
tione præditis propositum, vt o-
mnem, cuiuscunq; sit generis, fu-
giant idololatriam, & cultus pu-
gnantes cum voluntate Dei reue-
lata in scriptura. Nam ideò ad
imaginem sui creauit Deus genus
humanum, vt ab eo agnosceretur,
coleretur & celebraretur, ad eum
modum, quem & mentibus ho-
minum impresserat, & postea ex-
presso verbo per Prophetas & A-
postolos præscripsit. Noluit e-
nim nos querentes Deum, vaga-
ri animis & hæere in obiectis a-
lijs, sicut Eua hæsit in pomo prohi-
bito, ideo pposuit Deus certum
modum, quoa nobis agnosci pos-
set, quomodo, quoue cultu cele-
brari & coli vellet.

Nec vllum opus est, quantum-
D v uis

Nullum oq

pas Deo pla
cet nisi ab
ipso man-
datum.

uis speciosum, quod quidē huma-
na auctoritate institutum sit, quod
Deo placeat, aut quo se coli velit,
sicut inquit, frustra me colitis man-
datis hominū, Item, omnis planta-
tio, quam nō plantauit Pater me-
us, eradicabitur. Id quod etiā sacre
Historiæ testantur quæ tanquam
idololatriam damnant cultus hu-
mana auctoritate institutos, vt
Gedeonis, Ieroboam, & similibus
commentitios cultus.

Cum autem, vt paulò post ple-
nius ostendemus, Missa angula-
ris, de qua nunc loquimur, non so-
lum sit opus genere diuersum ab
institutione cœnæ Domini, sed e-
tiam ridiculum spectaculum, mul-
tiplici idololatria ex tetrīs errori-
bus refertum, nō dubium est, quin
hāc fugere & execrari omnes pios
deceat, ne contagione tam dete-
standæ prophanationis sanguinis
&

& corporis Domini cōtaminent̃.

Quod autem Missa hæc nulla
authoritate diuina cōstet, & quod
ex diametro pugnet cum vera in-
stitutione & usu cœnæ Domini,
ostendit utriusq; natura propius
explicatis causis inspecta. Nam
vt diximus supra, cœna Domini
est Sacramentum imēdiatē à Chri-
sto institutum, vt sit externa nota
addita promissioni Euangelij, ad
confirmandam fidem nostram &
vt memoria beneficiorum Christi
conseruaretur & propagaretur in
omnem posteritatem.

Ab hac vero institutione et usu
cœnæ Domini tantum abest Mis-
sa, quam hodiè sacrificuli passim
in quæstum conferunt, quantum
abest Cœlum à Terra, siquidem
nec fine conuenit, nec usu nec for-
ma, nec deniq; institutione, Quid
enim est in hac Missa angulari, q̃
referat

referat naturam Sacramenti aut
coenae Domini?

Fugiamus itaq; hanc prophe-
nationem coenae Domini, ac stu-
diosè caueamus, ne nostra praesen-
tia aut uideamur approbare hanc
Idololatram, aut proximo offen-
diculo simus, atq; ut hoc maiori
diligentia faciamus, teneamus hanc
formam & certam regulam, quae
perspicue testatur, Missam Ponti-
ficiam non habere ullam rationem,
nec Sacramenti corporis & San-
guinis Domini, nec etiam ullius
Sacrificij propiciatorij, aut Eucha-
ristici, quae haec est, nulla Cære-
monia habet rationem, Sacramen-
ti, hoc est, non est signum gratiae
Deo placens, cum aliquid institu-
itur extra & praeter uerbum Dei,
aut cum ipsa Cæremonia trans-
formatur in opus genere diuer-
sum, hoc est, cum alius finis con-
stitui-

stituitur, quàm quia Deo propo-
situs sit, ut uerbi gratia, Iudaica
nunc, aut Turcica Circumcisio,
nullam habet rationem Sacramen-
ti, nec placet Deo, sed est inane &
impium spectaculum, fit enim
nullo mandato, imò contra uer-
bum Dei, item si quis aquam Bap-
tismi circumferret spectandam, &
doceret in ea inclusum esse Spiri-
tum sanctum, & uenderet eam, ad
mundandam lepram, aut alios mor-
bos, impia & detestanda esset im-
postura.

Ex his & similibus exemplis
manifesti abusus coenae Domini,
quos hodie defendunt Pontifices
& Episcopi iudicari potest, qualis
est circumgestatio panis, quem o-
stendunt, proponunt et reseruant
ad adorandum, quod spectaculum
prorsus ad Sacramenti rationem
non quadrat, cum ibi pars seposita,
ad

Circumge-
statio.
Adoratio
Eucharistiae

ad quam sine vlllo verbo Dei Christi
stum alligant, reseruatur.

Causæ pro
pter quas
Missâ Pon-
tificiam de-
beamus.

Sunt igitur hæ, præcipuæ cau-
sæ propter quas Missam Pontifici-
ciam fugere debeamus.

1 **PRIMO**, propter mādatum
Dei, quō iubemur fugere idola &
impios cultus, pugnantes cum
mandato Dei.

2 **SECUNDO**, ne nostra &
præsentia, autoritate & tacito
consensu videamur hos Missæ er-
rores approbare & confirmare.

3 **TERTIO**, ne proximo po-
namus offendiculum, & scandalo
simus, dum nostra autoritate inui-
tamus eum ad hos cultus frequen-
tandos & approbandos.

4 **POSTREMO**, vt per
hanc vitandæ Missæ diligentiam
luceat nostra confessio, & simul
testemur, non nos approbare i-
dololaticos cultus & corrupte-
las


las cœnæ Domini, quæ in his spectaculis Missarum plurimæ sunt, & manifestæ. • Has profecto causas, si quis rectè expendat, & maiori diligentia cauebit, ne aut comprobeat aut confirmet hanc prophanationem, quæ fit in Missa, & simul impendio magis studebit, vt vetus mos Apostolicus celebrandæ cœnæ Domini in Ecclesiam reuocetur & retineatur, qui annos circiter quingentos inde usq; ab Apostolis mansit in Ecclesia, quo tempore nullæ erant Missæ angulares seu priuatæ, sed tantum diebus Dominicis, aut etiam aliquando frequentius conueniebat Ecclesia, recitabantur prælectiones, salutarisq; concione erudiebatur populus, Fiebant præcationes, deinde recitatis uerbis, claro & perceptibili idiomate, Christi de cœna Sacramentum corporis

ris

ris & sanguinis Domini p̄is, ex=
ploratis, & petentibus distribue=
batur, Tandem grat̄is actis Deo,
pro exhibito filio ac redemptione
generis humani, cœtus dimitte=
batur.

Hęc forma seu ritus celebrandę
cœnæ Domini fuit & grauitatis
plena, institutioniq; Domini cõ=
similis, nō autem h̄itronicæ ge=
sticulationes sacrificuli missantis,
quem pristinum ritum celebra=
dæ cœnæ Domini restituāt Pon=
tificij Episcopi, & cæteri Ministri
Ecclesiarum. Faxit æternus pa=
ter Domini nostri Iesu Christi,
quem oro, ut & uerbi sui purita=
tem & Sacramentorum suorum
uerum & salutarem usum Eccle=
siæ suæ restituere & conser=
uare digne=
tur.

F I N I S.



A. 53777

AB 153777

ULB Halle 3
002 694 344



246.





S. 122.

DE
COM
DE

122



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



4

RA
MEN-
IME

ESSE
erato appli-
Bio-

VSAE,
I PON-
re

m has

ena Domini
cula habet
ians, quae
inter hec
ibet.

